

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08161654 6





IOANNIS TZETZAE

ANTEHOMERICA HOMERICA ET POSTHOMERICA


E

CODICIBUS EDIDIT

ET

COMMENTARIO INSTRUXIT

FRIEDERICUS IACOBS



LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA.

MDCCXCIII.



AD

VIRUM CELEBERRIMUM

TH. CHR. TYCHSEN

PROFESSOREM GOTTINGENSEM.

Magnopere mihi peccare viderer, Vir Celeberrime, si hunc qualemcunque libellum, alius cujusdam quam TUI nominis auctoritate commendatum, in publicum prodire juberem. Quod enim Tzetzae de rebus Iliacis carmina, quorum major pars usque ad hunc diem in codicibus latuit, nunc demum integra in eruditorum manus veniunt, id TUO unius singulari et studio et humanitati debetur. TU non solum insignem lacunam, quam Schirachiana editio, ex Augustani codicis apographo facta, in Antehomericis reliquerat, ex Codice Vindobonensi explevisti, verum etiam illam carminis partem, quae res, ad Trojam post Hectoris obitum gestas, complectitur, ex eodem Vindobonensi codice descriptam, mihi summa benevolentia edendam

con-

conceſſiſti. Quis me igitur ferendum putet, niſi, quem ſcriptorem TU fere primus e bibliothecarum tenebris eruiſti, eum, a me paullo emendatiorem comtioremque redditum, ad TE redire jubeam, TUAEque curae et tutelae tradam?

Etſi autem minime ignorabam, quantum et quam grave publici judicii onus ſuſceperim, cum eum ſcriptorem, cujus edendi Viri, ſummo ingenio magnaque exquiſitae eruditionis copia inſtructi, ſpem excitaverant, edendum curarem, et in eorum locum ſuccederem, qui ipſius ſcriptoris levitatem et tenuitatem ſua auctoritate atque doctrina facile compenſaturi fuiſſent*), mihi-

*) Haec Tzetzae Carmina edere voluit Huetius, qui in epiſtola ad Frid. Georg. Graevium (Diſſertations ſur diverſes matières de réligion et de philologie par l' Abbé de Tilladet. T. II. pag. 244.) haec ſcripſit: *Eſt mihi Tzetzae ejusdem poëma de rebus Troicis ſic inſcriptum:* Ἰωάννου γραμματικοῦ τοῦ Τζέτζου τὰ πρὸ Ὁμήρου κ. τ. λ. *Adjecta ſunt Scholia non contemnenda. Haec edere olim habebam in animo; ſed aliis ſtudiis ex transverſo objectis abreptus ſum.* — Dodwellus, ubi particulam τῶν μεθομηρικῶν in lucem profert. (de cyclo. pag. 799.) totum opus in publicum edi vehementer optat. Ejus edendi conſilium ceperat Tryllitſchius, (vide *den neuen Bücherſaal.* ao. 1716. Pars LVIII. p. 735.) cujus apographum in bibliotheca Dresdenſi ſervatur. Notas in Tzetzam ſcripſit Clodius, Bibliothecae Dresdenſis olim praefectus, quarum plurima pars in verborum ſignificationibus enucleandis verſatur. Cum Tryllitſchii conſilium, neſcio qua de cauſa, exitum non habuiſſet, Heynius, Vir Ill. in ejus locum ſucceſſit. Sed hic quoque Vir doctiſſimus, omnibus jam paratis et deſcriptis, opus ſuum premendum cenſuit, donec integriorem iſtorum carminum codicem nactus eſſet.

mihique haec confidéranti quicquid hujus effet confilii, abjiciendum videbatur; tamen erant alia, quae nutantem animum obfirmarent, eumque impellerent, ne provinciam, mea voluntate expetitam, aliorumque benevolentia mihi traditam, temere relinquerem. Primum ipfius fcriptoris, quem in manibus habebam, conditio. Quum enim is fit Tzetza, quem neque ingenii praeftantia, neque orationis cultus commendet, ita mecum cogitabam, fi illis viris, vel taedio victis, vel gravioribus diftrictis negotiis, edendi ejus confilium abjicere licuerit, mihi non propterea idem licere, fed potius, quicquid ftudii in mediocri quamlibet fcriptore expoliendo pofuiffem, optime collocatum videri debere. Deinde et hoc commovebat animum, quod me iis codicum praefidiis ad Tzetzam edendum inftructum viderem, quibus ante me nemo fuerat.

Iam vero, Vir Celeberrime, quibus fubfidiis adhibitis quoque confilio ad Carmina Iliaca edenda acceffèrim, paucis velim accipias. Quum editoris munus duabus rebus praecipue contineatur, emendatione verborum, rerumque et fententiarum explicatione; quod ad primum attinet, textum, quantum ejus fieri poterat, a vitiis, quibus laborabat plurimis, purgare, et, cum ex codicibus, tum ex doctorum virorum conjecturis, quam emendatiffimum reddere ftudui. Habebam autem in Homericis et Antehomericis, praeter editionem Schirachii, typo-

 gra-

graphorum fcatentem erroribus, Codicis Augustani, lacunofi illius quidem, fed fatis emendate exarati, apographum, Heynii, Viri Illuftris, manu fcriptum, interpretatione latina, frequentibus animadverfionibus, cum ipfius Heynii, tum Tryllitfchii et Clodii inftructum, ita denique expolitum, vt fere nihil ad perfectionem defit. Quum enim Tzetzae edendi cepiffem confilium, illudque cum Heynio, cui me omnia mea debere grato animo profiteor, communicaffem, fummus Vir, quo nemo eft ad bonas litteras omni opera promovendas promtior, nemo paratior, nullam moram interponendam cenfuit, quin mihi hunc, multifariae eruditionis thefaurum, traderet et inde, quae in rem meam effent, depromendi faceret copiam. Hinc igitur derivatae funt plurimae, quas in hac carminis parte Heynii et Tryllitfchii nomine decoratas vides, et emendationes et verborum explicationes, unde quantum utilitatis ad Tzetzam redierit, nemo eft harum rerum exiftimator idoneus, quin intelligat. Quum autem in Codice Auguftano infignis lacuna fit, quippe in quo defiderantur v.v. 29. usque ad verf. 202. Antehomericorum, TU, Vir celeberrime, hanc particulam, ex apographo Viri clariffimi mihique amiciffimi, Heerenii, in Bibliotheca Litterarum et Artium, tum illius praeftantiffimi viri, tum TUIS animadverfionibus inftructam, edidifti. Eodem vero tempore, quo TU illos verfus publici iuris faciebas, Woidius, Vir, de litteris opti-

optime meritus, ab Heynio mea de caufa rogatus, eandem particulam, e Codice Bibliothecae Mufei Britannici, cui tum temporis praeerat, nitide defcriptam, mifit. Neque tamen hoc apographum totum illum locum complectebatur, qui in codice Auguftano defideratur, fed in verfu 104. fubfiftebat.

In ea *Homericorum* parte, quam Schirachius multis vitiis inquinatam edidit, emendanda, plurimum fuit praefidii in Heyniano apographo, cujus auctoritate haud exiguum mendorum numerum facili opera fuftuli. Sed in hoc quoque carmine mutilus eft Auguftanus codex, neque ultra verf. 221. excurrit. Quae igitur ad integritatem usque ad hunc diem defiderabantur, ea protuli ex Codicibus Londinenfibus duobus, uno Bibliothecae regiae, altero Harlejano; utroque in multis locis infigniter depravato.

Quod denique ad tertiam hujus operis partem attinet, quae res, poft Hectoris mortem ad Trojam geftas, 780. verfibus explicat, ea in Codice Auguftano plane deeft, neque quidquam ejus in publicum erat editum, praeter viginti verfus, quos Dodwellus e codice Bodlejano edidit. Totum hoc carmen ex TUO apographo defcribendum curavi. Quodfi me forte in Pofthomericis, vbi nihil prorfus externi habebam praefidii, faepius offendiffe inveneris, facile errorum veniam dabis, cum, quot vitiis Codex

Vindobonensis laboret, ipse in describendo cognoscere potueris.

In hac subsidiorum, quibus in his carminibus edendis usus sum, recensione, statim intelligis, Vir praestantissime, in multis ejus locis totam rem ad unum codicem rediisse. In quo si corruptelae haerebant, ad conjecturam confugiendum erat. In hac autem parte plus difficultatis offendis, quam ii credent, quibus Tzetzae ingenium scribendique genus ignotum est. Qui cum praeter ea vitia, quae ipsi cum plurimis ejusdem aetatis scriptoribus communia sunt, multa sibi propria habeat, poeticae orationis usus ad eum emendandum parum aut nihil juvat; ipse Tzetza, et qui Tzetzae sunt suppares, studiose legendi, ex his praesidia critica depromenda sunt. Quin etiam alterum, quod in poetarum carminibus ad restituendam lectionis veritatem plurimum valere solet, verborum et syllabarum modulus, in hoc scriptore parvi vel nullius momenti est. Quum enim sive imperitia, sive negligentia, leges metricas innumeris in locis migraverit, sedulo mihi cavendum fuit, ne, metro nimis obtemperans, temere aliquid ei affingerem et scriptorem potius quam scripturam corrigerem. Vere igitur affirmare possum, de plurimarum, quas passim proposui conjecturarum veritate, neminem satis accurate existimare posse, nisi qui aliquam, vel cum ipso Tzetza, vel cum similibus ejusdem aetatis atque inge-

ingenii ſcriptoribus familiaritatem contraxerit. Multae proinde lectiones, quas divinando aſſecutus ſum, ſi per ſe ſpectaveris, inficetae et horridae videbuntur; easdem ſi ex ſcriptoris ingenio dicendique genere judicaveris, haud forταſſe infeliciter excogitatas fateberis. Plurimum vero in hac parte juvabat faſtidioſa quidem, ſed multa cum utilitate inſtituta, eorum ſcriptorum comparatio, ex quorum ſcriniis Tzetza carmen ſuum compilavit, interque eos praecipue Fragmentum τῶν τρωϊκῶν, quod Majus ex Codice bibliothecae Uffenbachianae edidit, quodque cum Antehomericis in plurimis locis tam amice conſpirat, ut interdum, Tzetzam hoc ipſum opus, pedeſtri oratione ſcriptum, elumbibus utcunque metris adſtrinxiſſe, ſuſpicatus ſim. In reliquis partibus Cedreni et Malalae veſtigia preſſiſſe videtur. Quae cum ita eſſent, eam mihi legem ſtatui, vt, quae ſive meae, ſive aliorum conjecturae horum ſcriptorum auctoritate firmarentur, eas in textum admittere non dubitarem; reliquas, cum tota variarum lectionum farragine, in notas rejicerem. Quae enim certa medela ſanare non poteram, ea intacta relinquere, quam exulcerare malui.

Scholia, quae Schirachius textui, textu etiam corruptiora, ſubjecit, et quorum multo accuratiorem recenſionem in Heyniano habebam apographo, integra edere piguit, quum plurima eorum pars in futiliſſimis rebus verſetur,

neque

neque quidquam praeter nugas grammaticas, cum inepta ingenii ostentatione conjunctas, contineat. Haec omnia si omitterem, lectorum mihi rationibus consulere videbar; in quibus tamen eruditio paulo reconditior, ex veterum commentariis corrasa, apparebat, ea notis inserenda duxi. In Posthomericis paucissima habebam scholia, eaque maximam partem futilia, si res, in quibus versantur, spectaveris; eadem mihi in aliquod locis ad verba constituenda aliquid auxilii attulerunt.

Superest, ut de interpretationis genere, quod huic scriptori adhibui, pauca subjiciam. Quum orationis ea sit facilitas, ut, nisi ubi textus corruptus sit, ne tironibus quidem aliquid impedimenti objiciatur, omnis interpretatio redibat ad fontes, unde Tzetza hauserat, persequendos. Haec res non adeo erat difficilis, si in iis locis, quos Tzetza ante oculos habuit, enotandis acquiescendum putassem. Neque me tamen in hunc tam arctum gyrum includi passus sum, neque ad recentiorum tanquam scopulos unice haerere sustinui, sed ipsos fabularum fontes in antiquorum et poëtarum et historicorum scriptis sedulo indagavi, hoc laboris mei praemium petens, ut animum a taediosis monachorum compilationibus ad gravissimorum virorum monumenta converterem. Ea in re plurimum me juvit cyclicorum poëtarum accuratior cognitio, cujus fontem TU aperuisti, Vir celeberrime,

me, editis ex Procli Chrestomathia excerptis, quibus eorum poëmatum, quae cyclum Trojanum constituebant, argumenta continentur. Multum quoque ad eam rem praesidii esse in Heynii Commentariis, tum ad Virgilii Aeneida, tum ad Apollodori Bibliothecam, nemo est harum litterarum paulo studiosior, qui nesciat.

Haec sunt, Vir clarissime, quae de ratione edendi Iliaci carminis TEcum communicare volui. Priusquam tamen scribendi finem faciam, temperare mihi non possum, quin verborum stimulos adhibeam, ut poëtae, qui in eodem argumento, multo tamen majoribus et ingenii et artis praesidiis instructus, versatus est, Quinti Smyrnaei editionem ne nobis diutius invideas, neque fidem, omnibus harum litterarum amantibus, obstrictam liberare differas. Postquam enim eruditissimam de Quinto commentationem, una cum ingeniosissimis conclamatorum prope locorum emendationibus, eidem subjectis, edideras, spes exorta est omnibus, fore, ut perfectum a TE expoliretur opus. Iam vero postea praeter ea cum ingenii, tum doctrinae adjumenta, quae TU ipse affers, eas Codicum nactus es copias, quae vel solae ad Quintum emendandum sufficere possint; ut nullum sit dubium, TE hac editione in publicum emissa, vel ipsi Rhodomanno palmam, eruditissimorum hominum judicio ei tributam, vel ambiguam facturum vel erepturum esse. Ad hoc igitur opus denuo

denuo suscipiendum et ad umbilicum perducendum, cum TIBI voluntas deesse non possit, ne otium desit, vehementer opto. Vale, Vir doctissime, et me, ut facis, amare perge. Scribebam Gothae, mense Mart. CIƆIƆCCLXXXXIII.

DE

DE TZETZA EIUSQUE CARMINE.

Ioannem Tzetzam, Michaëlis filium, Isaaci fratrem, saeculo duodecimo post Christum natum Constantinopoli, ubi natus esse videtur, litteris operam dedisse, ex ipsius Tzetzae scriptis abunde constat. Supervacaneum est ea repetere, quae de ejus genere et vita Potteri *) et Fabricii **) diligentia congessit, omnesque ii, qui de historia litteraria tradiderunt, sine ulla adjectione recoxerunt ***). Hoc unum animadvertam, Ioannem nostrum Tzetzam, quo tempore carmen de rebus Trojanis concinnaret, graves simultates gessisse cum Isaaco fratre, (qui ἐπαρχίας munere fungebatur in urbe Berrhoea ad lacum Boeboidem) ejusque conjuge, quae maritum impulerat, ut fratrem non solum indignis munusculis exciperet, sed suis praeterea equis privatum remitteret ****).

Quod vero ad Tzetzae nostri ingenium attinet, magna ejus erat eruditio, major etiam jactan-

*) Potterus ad Lycophron. p. 109. sqq.

**) Fabricii Bibliotheca graeca. T. X. p. 245. sqq.

***) Chauffepié V. Tzétzès. Hamberger *in den zuverläßigen Nachrichten*. T. IV. Bougine *Handbuch*. T. I. p. 471.

****) Hunc mihi sensum eruisse videor ex obscuris et corruptis verbis Homeric. v. 143. sqq. et Posthom. v. 284. sqq. Ejusdem tamen Isaaci nomine Ioannes noster suum in Lycophronem commentarium honoris gratia inscripserat. Ioannis enim opus esse, cum ex iis argumentis, quae Potterus protulit, praecipue ex epistola Tzetzae ap. Fabricium Tom. III. pag. 419. tum ex multis nostri carminis locis apparet, quos in notis indicavi.

jactantia. Quum enim plurima legisset, antiquorum sophistarum more, passim gloriatur, se paratum esse, quaecunque aliquis scire velit, ex memoria dicere; et graviter indignatur, quod sibi, tanti ingenii tamque immensae lectionis viro, tam parum honoris et fere nihil statuatur praemii. Has querelas, quibus Chiliades ejus refertae sunt, in nostris quoque carminibus effundit. Ut autem sui unius ingenii admirator est, ita se in alios scriptores haud raro injuriosum praebet: veterum ignorantiam crebro exagitat, suam scientiam et eruditionem jactat. Neque tamen facile aliquem vel mediocriter peritum irretiet et in suam sententiam trahet, cum ei ad opiniones suas tuendas firmandasque plane desit ingenii solertia. Plurimum operae in veterum fabularum et historiae cognitione posuerat; in quo tamen studio ita versatus est, ut, communi suae aetatis vitio, omnia ad allegorias, nugatorias plerumque ac futiles, revocare studeret. Hujus studii specimen exhibuit in singulari opere, quo totius Iliadis interiorem sensum, allegorica interpretandi ratione erutum, explicuit; quod opus, passim a viris doctis laudatum, cum Iliaco carmine confudit Fabricius *). Doctri-

*) *Fabricius* Bibl. Gr. T. X. pag. 251. Allegoricam hanc Iliadis interpretationem laudat Kuster. ad Suid. T. II. p. 683. et Bentl. in Epist. ad Mill. p. 63. Vide de hoc opere cl. *Tychsen.* in Bibl. Liter. et Artium IV. Inedita. p. 6. 7. Allegorica veterum fabularum interpretandarum ratione, quae vix dici potest, quantum nugarum peperit, quamque crebro Homeri, aliorumque poëtarum interpretes, Homeri autem praecipue, a recto tramite deduxerit, primus ad Homerum defendendum usus esse dicitur *Theagenes*, ὃς πρῶτος ἔγραψε περὶ Ὁμήρου teste Schol. ad Il. Υ. 67. ed. Vil-

Doctrina autem, quam Tzetza tantum non ubique jactat, non ex ipsis fontibus hausta, sed ex turbidis rivulis petita est. Quum enim veterum poëtarum Commentatores, Epitomatores, et Lexicographos, quibus illa aetas abundabat, sedulo trivisset manibus, deperditorum scriptorum, quos apud eos laudatos reperiret, nomina ita crepat, quasi eos ipsos oculis usurpasset. Qua fraude nonnullorum certe oculis caliginem offudit. Dodwellus quidem, quamvis probe intelligeret, Tzetzam non omnes, quos excitat, scriptores legisse, Leschem tamen et Stesichorum et reliquos forte Cyclicos omnes ab eo adhibitos esse, sibi persuasum habebat *). Tantum

Villois. Plurimae autem in Homero interpretando allegoriae aliaeque ineptiae ex eorum fonte profluxerunt, qui data opera difficultates movebant et ζητήματα proponebant, nulla alia de causa, quam ut ingenii et acuminis laudem captarent. Hoc ζητημάτων proponendorum studium Sophistas primum invasit; deinde ad Grammaticos progagatum est, eos praecipue, qui in Museo Alexandrino otio abundabant et haud raro abutebantur. Multa ex his, ineptissima pleraque, in scholiis servata leguntur: multa perierunt, interque ea, quod fortasse doleas, Aristotelis ἀπορήματα et Longini προβλήματα. Ingens in his quaestionibus allegoriarum copia fuit. Ex antiquioribus recentiores hausisse, probabile est: *Heraclidem Ponticum, Mich. Psellum*, (cujus *allegorias Homericas* una cum Heracl. Pont. vulgavit Conr. Gesnerus. Basil. 1544. 8.) *Ioannem Diaconum*, cujus allegorias commemorat Labbeus p. 110. sq. et ipsum *Tzetzam*, qui etiam nostro carmini multas allegorias intexuit.

*) Rectius de eo judicat Vir celeberrimus, Heyne in Excurs. I. ad L. II. Aen. p. 274. ubi de trojanarum fabularum auctoribus disputat: „Ex hoc genere, infima jam aetate, infimo loco, fuit Tzetza, qui Anteho-

tum ad auctoritatem conciliandam valet, ut frontem fortiter perfrices, neque in mentiendo haereas. Ioannem enim nostrum antiquos illos poëtas, quos illa aetate jam dudum periisse verisimile est, ne inspexisse quidem, ex notis nostris ad Iliaca carmina abunde apparebit.

Ut vero de horum carminum indole statuere possimus, de argumento, in quo versatur, paucis differendum, et fontes, unde manaverit, investigandi sunt. Quod igitur ad Iliacorum argumentum attinet, satis constat, inde ab eo tempore, quo Homeri carmina in Graecia recitari et in deliciis haberi coeperint, multos extitisse poëtas, qui unius Homeri imitandi studio exarderent. Quum enim prudentissimorum hominum ea esset sententia, in Homero epicae poëseos modum et quasi mensuram contineri, factum est, ut plures cum vetustiori, tum recentiori aevo exorirentur, qui, divini illius poëtae vestigia legentes, in ejusdem laudis societatem pervenire cuperent, Quorum haud pauci, qui ab Homeri aevo proxime abessent, partim traditiones, quae de bello trojano passim in Graecia vigebant, studiose corrasisse, partim mythorum in Homeri carminibus jacta semina persequuti esse videntur. Sed quum Homerus, ipsa quodam-

tehomerica, Homerica et Posthomerica versibus scripsit, parum doctis; stolidae jactantiae homo, qui non tam, quod Dodwellus augurabatur, veteres cyclicos, quam misellos potius Grammaticos et compilatores, qui eum antecesserant, exscripsit, nec sic tamen negligendus, quippe ex quo, in tanta meliorum scriptorum jactura, multa, quomodo a superioribus tradita fuerint, intelligi possint, modo quis satis magna doctrina instructus sit".

dammodo natura duce atque magiſtra, ad id, quod in arte ſummum eſt, rectiſſima via graſſatus, ex toto rerum trojanarum complexu aliquam tantummodo partem ſibi ſeligendam eſſe intellexiſſet, quam poëſeos luminibus illuſtraret; ii, qui poſtea in eandem materiam involabant, quo plures ipſi fabulas carminis ſui finibus comprehenderent, eo ſe grandius atque jucundius opus confecturos eſſe ſperabant. Ita enim fieri ſolet, cum ingenioſum aliquem virum, eximia laude mactatum, videant homines, ut eam laudem non tam ingenii ejus praeſtantiae, ſed cuidam potius felicitati materiae, ad quam forte fortuna delatus ſit, tribuendam cenſeant. Qui itaque, quanta ſit in Homeri carminibus, ex trojanarum rerum ambitu hauſtis, materiae opportunitas, ſibi intellexiſſe videbantur, non dubitabant, quin, ſi reliquarum quoque ad Trojam geſtarum rerum copiam, orationis genere, ad Homericae orationis ſimilitudinem compoſito, explicarent, palma ſibi ab ominibus ultro deferretur. Quae tamen illos temere concepta opinio quantopere fefellerit, noli quaerere. Omnium enim hujus generis poëtarum gloriae Homerici nominis ſplendor offecit; et, cum omnium ad Trojae moenia dictorum factorumque memoriam curioſe congeſſiſſent, improbo tamen labore vix aliud quidquam aſſequuti ſunt, quam ut Grammatici, doctaeque antiquitatis interpretes, quae ad veterum poëtarum ſenſus aperiendos facerent, ex eorum carminibus depromerent.

Ex duobus igitur praecipue fontibus omnis trojanarum rerum notitia ad ſeriora tempora profluxiſſe videtur; altero, lutoſo illo et tur-

 bido

bido traditionis, cum et in iis locis, ubi bellum omnium maxime memorabile gestum erat, et magis etiam in coloniis, quae plurimae post hoc bellum confectum, sive a Trojanis, patria profugis, sive a Graecis, in alias terras delatis, conditae sunt, ingens fabularum, ad Graecorum in Asiam expeditionem spectantium, conservata esset copia; altero puriori atque limpidiori, quamvis et ipso ex traditionis rivulis, minus tamen illis inquinatis atque corruptis, derivato, Homeri nimirum carminibus, qui, dum Achillis iram et Vlyssis errores accurate diligenterque exponebat, multos praeterea, modo ad posteriora tempora pertinentes mythos, quasi aliud agens, attigit. Ex his itaque fontibus non poëtae solum, sed etiam pedestris sermonis scriptores rerum trojanarum memoriam petebant; ita tamen, ut ex hoc homerico cyclici praesertim poëtae hortulos suos irrigarent, ad illum priorem ii praecipue accederent, qui urbium κτίσεις persequerentur. Quod tamen non ita accipi velim, quasi poëtae veriti essent ab historicis, historici a poëtis aliquid mutuo sumere: Utrisque enim iidem fontes patebant.

Satis constat, post ea, quae Heynius, Vir Ill. pluribus locis de cyclo cyclicisque poëtis disputavit *), duplicem eamque valde diversam apud antiquos cyclicorum poëtarum notionem fuisse; cum hoc nomine modo eos significarent, qui carminum suorum argumenta ex mytho-rum

*) Praecipue in Excurs. I. ad Aeneid. II. ad Procli Chrestomath. in Bibliotheca Litterarum et Artium. Fasc. I. In Commentatione de Apollodori Bibl. T. III.

rum ambitu (κύκλῳ) derivassent, modo eos, qui propter eximiam in suo quisque genere praestantiam, exemplorum instar haberentur et ab Alexandrinis Grammaticis in unum corpus redacti essent. Posterius cyclicorum genus ad eam rem, quam hoc loco tractamus, nihil facit. Eos autem poëtas, qui ab argumento carminum nomen invenerunt, si quis omnes in trojanis fabulis versatos esse existimaverit, is eos e latissimo fabularum campo in arctum profecto gyrum includit. Non tamen defuerunt, qui Grammaticorum errore an negligentia haud dixerim, ita statuerent. Quum enim cyclus mythicus in plures partes descriptus esset *), unaque pars esset, quae res trojanas complecteretur, ea interdum κατ᾽ ἐξοχὴν cycli nomine appellata est. Ego, omissis reliquis, a consilio meo alienis, ex omni hoc poëtarum numero eximam eos, qui res trojanas singularibus carminibus exornaverunt.

Inter eos itaque qui trojanarum rerum memoriam vincta oratione explicaverunt, nullus Lesche propior ad Homeri gloriam accessisse videtur. Complexus erat ille eo carmine, quod sub parvae Iliadis nomine magnam apud antiquos celebritatem habuit, omnem rerum, post Achillis mortem usque ad urbis excidium gestarum, varietatem, quatuor libris descriptam. Primus liber, ut ex Procli Excerptis intelligitur **), altercationem, de Achillis armis inter Ulys-

*) Singulas ejus partes indicavit Heyne in locis supra laudatis.

**) Insigni cum emolumento bonarum litterarum Tychsen. V. Cl. particulam Chrestomathiae Procli, a Viro doctissimo Siebenkees ex Cod. Divi Marci descriptam, edidit in Bibl. Lit-

Ulyssem et Ajacem exortam, Ajacis inde natum furorem, Heleni vaticinium, Philoctetis ad Graecorum castra reditum, Alexandri denique mortem continebat. Secundi libri argumentum constituebat Neoptolemus, ex Scyro insula arressitus, Eurypyli adventus, pugna et obitus. Tertius tractabat fabulam de equo ligneo, de Ulyssis cum Helena compositione et furto Palladii. Quartus denique in ipsa urbis expugnatione versabatur *). Eidem poëtae Pausanias pluribus locis carmen de Ilii excidio tribuit; ita tamen, ut in ambiguo relinquatur, utrum ille quartam parvae Iliadis partem intellexerit, an singulare hujus argumenti carmen, a Lesche concinnatum, habuerit, an denique, quod fortasse potissimum probes, Leschi adscripserit, quod alii majori jure Arctino tribuerant. Arctinum enim, haud obscurum inter cyclicos nomen, duobus carminibus, Aethiopide et Ἰλίου πέρσιδι, res trojanas illustrasse, constat. Illud, quod a Memnone, ex Aethiopia Trojanis auxilium ferente, appellatum est, omnem temporum vicissitudinem post Hectorem caesum redemtumque usque ad Achillis mortem quinque libris complectebatur. Alterum (ἡ Ἰλίου πέρσις) Trojae excidium duobus libris ita enarrabat, ut initium a simulata Graecorum fuga caperet, et in urbis incendio subsisteret. Erat in hoc carmine illustris illa de Laocoonte fabula, Pria-

Litter. et Art. Fasc. I. Inedit. p. 31. sqq.

*) De Lesche vide Heyn. Exc. I. ad Aen. II. p. 277. Fabricii Bibl. Gr. T. I. p. 376. ed. Harl. Poëma, de quo hic agitur, ab antiquis modo Ἰλιὰς μικρὰ, modo Ἰλιὰς ἡ ἐλλάσσων vocatur. Non enim diversa haec erant, ut suspicabatur Salmas. ad Solin. p. 598. 2. E.

Priami caedes, Ajacis Oïlei flagitium, Polyxenae immolatio, Aſtyanactis denique crudeliſſima mors *). Ex his duobus Arctini carminibus et ex Leſchis parva Iliade plurima pars τῶν παραλειπομένων, quae ſerioris aevi poëtae concinnaverunt, profluxiſſe videtur. *Steſichori* **) tamen praeterea et Argivi cujusdam ſive *Saccadae* ſive *Acati* ***) Ἰλίου πέρσις apud antiquos paſſim commemoratur.

Ex iis autem ſcriptoribus, qui de rebus ante Iliaden, et Achillem adeo, ira excandeſcentem, tradiderunt, *Staſini* nomen, cui auctori τὰ Κύπρια ἔπη ſumma cum probabilitate tribuuntur, ad poſteritatem propagatum eſt. Habebant antiquis temporibus magnam celebritatem, adeo, ut Homero a quibusdam tribuerentur, qui illa dotis loco filiae ſuae dederit. Id quod conſtat, Cypriorum carminum auctor omnem earum rerum, quae a Pelei inde nuptiis et Eridis ira profectae in Trojae interitum conſpiraverant, ſeriem, usque ad Palamedis mortem et Achillis proxime inſecutam iram, peragraverat. Magnam proinde in his carminibus fabularum co-

b 4 piam

*) Vide Procli Chreſtom. p. 32. ſqq. 37. ſq. De Arctino diſputavit Heyne l. c. p. 281.

**) De Steſichori Ἰλίου πέρσιδι vide V. Cl. Suchfort in comment. de Steſichori fragmentis. pag. 23. ſqq. Heyn. l. c. p. 280. Lyrico potius quam epico ſpiritu hoc carmen conſcriptum fuiſſe, ſuſpicari licet ex loco Quintiliani X. 1. 62. ubi Steſichorum maximos duces et clariſſima bella canere, *et epici carminis onera lyra ſuſtinere* ait.

***) Ἀκάτου ap. Athenaeum ſcribitur L. XIII. pag. 610. C. Σακάδα τοῦ Ἀργείου emendavit Caſaubonus. c. IX. p. 885. vide Heyne. l. l. p. 281.

piam et varietatem fuisse, vel ex ipso carminis ambitu conjicias, et ex Procli excerptis *) perspicue intelligi potest.

Priscis poëtis, qui in rebus trojanis versati sunt, recensitis, ad historicos procedamus, qui antiquissimis temporibus, cum ex vulgi narrationibus, tum ex poëtarum carminibus, populorum origines et res gestas concinnantes, trojani belli mentionem fecerunt. Inter hos principem locum tenet *Hellanicus Lesbius*, qui, cum multarum gentium origines persequeretur, trojanam quoque historiam condere non neglexit; et *Dionysius milesius* qui primus omnium terrarum, de quibus istis temporibus aliquid sciri poterat, historiam scribere conatus est **). His annumerari

*) Argumentum Cypriorum carminum, a Proclo confectum, Cl. Tychsen edidit ex cod. Matritensi regio in Bibl. L. et A. I. p. 23. sqq. Egit de Stasino Heyne l. c. p. 279. sq. Fabricius in Bibl. Gr. T. I. p. 382. ed. Harl. Ex hoc praecipue carmine ii, qui fabulas Antehomericas tractarunt, interque eos Auctor Hymni in Venerem (vide Cl. Groddeck de Hom. Hymn. reliquiis p. 41.) et Coluthus hausisse videri debent. Latinis numeris τὰ Κύπρια ἔπη expressit *Naevius*, teste Charisio I. p. 118. vide Wernsdorf. in poëtis min. T. IV. p. 572.

**) De Hellanico Lesbio singulari opere docte disputavit cl. Sturz. *Hellanici Lesbii Fragmenta* e variis scriptoribus collegit, emendavit, illustravit et praemissa commentatione de Hellanici aetate, vita et scriptis in universum edidit Fr. Gu. Sturz. A. M. Lipsiae 1787. 8vo. Fragmenta τῶν τρωϊκῶν leguntur inde a pag. 96 — 101. In Troicis Hellanici fidem inprimis probatam fuisse, docet Heyne ad Virgil. T. II. p. 269. — Eundem vide, de Dionysio Milesio agentem, cum ad Virgil. l. c. tum ad Apollodori Biblioth. P. III. p. 923. et 980. sqq. et Valckenaerium ad Eurip. Phoeniss. p. 734.

rari debent *Cephalus Gergithius*, *Metrodorus Chius*, *Demetrius Scepsius*, *Palaephatus*, *Callisthenes* denique, et alii, qui, ut suspicari licet, antiquitatis fabulas ad historiae veritatam revocare conati sunt*).

Iam infinitum est, omnes sigillatim recensere, quotquot res trojanas strictim et aliud agentes attigerint. Lyricos enim poëtas, mythis ex trojanarum fabularum cyclo depromtis, pro carminum ornamentis frequenter usos esse, ex plurimis eorum fragmentis apparet; et apud Pindarum plures hujus generis fabulas, egregie exornatas, reperimus. Nec non Tragicos ad eosdem fontes frequentissime accessisse constat. Qui cum fabularum suarum argumenta sive ex cyclicorum poëtarum carminibus, sive ex historicorum scriptis derivarent, fieri non potuit, quin, ipsius dramaticae poëseos indole adducti, alia ad consilium suum inflecterent, alia ipsi fabulis affingerent. Magna inde fabularum varietas orta est, maximaque confusio, cum insequentis aevi Grammatici et poëtarum enarratores, in mythis consarcinandis nulla fontium, unde manassent, ratione habita, antiquiora cum recentioribus mirum in modum commiscerent atque confunderent.

Quum enim post Alexandri Macedonis obitum ea esset Graeciae conditio, ut omnes viae, quibus olim ad felicitatis fastigium evecta fuerat, quasi obstructae viderentur, musae, patrio solo exactae, perfugium in Aegypto quaerere et in Ptolemaeorum tutelam sese committere coeperunt,

*) Heyne ad Virgil. T. II. p. 269 — 271.

runt. Ibi ſtudiorum ratione variis de cauſis *) penitus immutata, novum eruditorum genus exortum eſt, qui in fabuloſa antiquitatis memoria eruenda omne ſtudium ponerent, vitamque in poetarum commentis enotandis, explicandis conſarcinandisque conſumerent. Quorum alii id egerunt, ut omnem illam mythorum copiam varietatemque in unum corpus colligerent, ut *Hegeſianax Alexandrinus*, et qui unus ex plurimis aetatem tulit, *Apollodorus*, Bibliothecae utiliſſimae conditor, in qua totum cyclum epicum in compendium redegiſſe videri debet. Alii, quamvis et ipſi Grammatici, ad altiora tamen capiebant animum, et cum obſoletam aliquam et reconditam fabulam verſibus explicuerant, veterum ſibi poëtarum laudem vel exaequaſſe, vel etiam ſuperaſſe perſuadebant. Inter hos *Lycophron*, perverſi homo ingenii, totum trojanarum fabularum cyclum nova et inſolito orationis genere peragravit.

Pauciſſimi tamen inter Alexandrinos poëtas ſtudium ſuum trojanis rebus perſequendis exornandisque addixiſſe videntur. Nimis haec illis vulgaria, nimis protrita **). Quae autem cauſa

*) Vide praeclaram Heynii commentationem *de genio ſeculi Ptolemaeorum* in Opuſculis Academicis. T. I. p. 76. ſqq.

**) Heyne in Comment. de genio S. Pt. p. 82. Sed quae ejus ſeculi multo etiam interior et notabilior eſt indoles, mirum aliquod variae et multae doctrinae ſtudium omnia ingenia occupaviſſe videas, quod etiam inepte oſtentare, ejusque laudem intempeſtive captare dicas. Curioſi eſſe malunt, quam ingenioſi. Itaque argumenta etiam operum ex antiquis fere fabulis, aut ex ſubtili diſciplina, ex aſtronomicis

sa hos impedivit, quominus hoc stadium decurrerent, eadem seriorum temporum homines, qui omnia ad rhetoricas exercitationes referebant studia, invitasse videtur, ut in hac, quamvis trita materia, ingenii sui vires exercerent. Exorti sunt itaque seculo tertio et quarto post Christum natum, cum poëtae aliqui, neque illi pro istius aevi tenuitate spernendi, ut *Quintus Smyrnaeus*, *Tryphiodorus*, *Coluthus* tum declamatores, quorum alii fabulas, in quibus ingenii acumen ostentarent, e trojano cyclo hauriebant; alii easdem, sub aliena plerumque persona, ad historiae fidem revocare studebant. Huic fraudi occasionem dedit ipsa fabulosa traditio. Quum enim sub ipsa trojani belli tempora plures extitisse putarentur, qui id egissent, ut hujus belli memoriam ad omnem posteritatem transmitterent, v. c. *Helena*, Musae filia, *Dyctis Cretensis*, *Dares Phrygius*, *Syagrius* denique, factum est, ut recentiores sophistae, qui eodem argumento tractando ingenii gloriam aucupabantur, si istorum hominum personam sumerent, se majorem scri[illegible]s suis auctoritatem conciliaturos esse, puta[illegible].

Ex his autem Sophistis, quibus *Philostratus* annumerandus est propter *Heroica*, in quibus multa contra Homeri autoritatem protulit, infimae aetatis scriptores, ii praecipue, qui, chronica condentes, bellum trojanum attigerunt, hau-

cis, physicis, geographicis et apotelesmaticis, eos petere, tum ex iis, quae adhuc extant, tum multo magis ex deperditorum librorum indicibus apud Fabricium, Vossium, Ionsium, Meursium cognoscas etc.

hausisse videntur. Istorum rivulos sectati sunt *Cedrenus*, *Malala*, *Constantinus Manasses*, et *Auctor τῶν τρωϊκῶν*, (quae Majus ex cod. bibliothecae Uffenbachianae edidit) qui omnes in rarioribus et apud antiquos non obviis fabulis, fabularum interpretationibus, heroum heroïnarumve imaginibus et in ipsis adeo verbis ita conspirant, ut, quod ad trojanas fabulas attinet, omnes ex eodem fonte profluxisse videantur. Illos sophistas, poëtas recentiores, et chronicorum futilissimos conditores (si ab Homero discesseris) Tzetza noster in Carmine Iliaco ita secutus est, ut se eorum fidei fere totum traderet, et nonnisi in parvis rerum momentis, allegoricis fabularum explicationibus, orationibus etc. raro ab iis discederet. Ubi vero quicquam habet, quod apud Cedrenum, Malalam et Auctorem τῶν τρωϊκῶν desideretur, illud ex Philostrato, Darete et Dictye, passim etiam ex antiquis poëtarum commentatoribus accepisse videtur. Haec a me non contumeliae causa, sed ex veritate ita affirmari, apparebit ex animadversionibus meis, quibus fontes compilationis Tzetzianae diligenter indicavi. Neque tamen in hac sterili similium locorum enumeratione operam meam contineri volui. Turbidis rivulis relictis crebro ad fontium capita processi, et, ut trojani belli historia ab ineptis Graeculorum commentis purgaretur, unamquamque fabulam diligenter excutere, et inquirere coepi, utrum priscorum, Homeri inprimis, auctoritate nitatur, an ex recentiorum ingeniis originem traxerit. Quod si facerem, non omnem mihi operam in hoc scriptore ludere videbar. An vero hoc studium mihi feliciter cesserit, aliorum judicium facio. Ignoscat mihi lectorum humanitas, si qua dili-

gen-

gentiam meam effugiſſe, et me ipſum offendiſſe deprehenderint.

CODICVM NOTITIA *).

1. Integrum opus continetur *cod. Matritenſi regio* XX. cum titulo: Ἰωάννου γραμματικοῦ τοῦ Τζέτζου ἡ μικρὰ Ἰλιάς. quo Iliadis parvae nomine laudatur etiam à Labbeo et aliis. Scriptus eſt hic codex a Conſtantino Laſcaride, Meſſanae in Sicilia circa a. 1488. quod docet inſcriptio, Oppiani Cynegeticis ſubjecta. Tzetzianis nulla additur anni nota, ſed cum Sicilia non exceſſerit Laſcarides, fato ibi functus 1492. probabile fit, haec ibidem ſcripta eſſe. Verſuum numerus in prioribus partibus, quas ſub Ἰλιάδος μικρᾶς titulo comprehendit codex, traditur eſſe 897. Poſthomericorum 776. cf. Iriarte in Catal. p. 82.

2. *Cod. Bibliothecae Iacobaeae*, ſub erronea ſcriptura *Tetri Prohomerica*, *Homerica et Poſthomerica cum Scholiis ipſius*. 8754. 852. Idem Codex graece et latine. Catalogus Mſcorum Angliae et Hiberniae. T. II. p. 246. vide Fabricii Bibl. Gr. I. p. 404. ed. Harl.

3. Bibliotheca *Muſei Britannici* duos Tzetzae codices habet qui in cenſum venire merentur. Alterum cum titulo τὰ πρὸ Ὁμήρου καὶ τὰ

*) De ineditis Tzetzae operibus et Carminis Iliaci codicibus docte diſputavit cl. Tychſen in Bibl. Litt. et Art. Faſc. IV. p. 4. ſqq. Inde hanc codicum notitiam maximam partem depromſi.

τὰ Ὁμήρου καὶ τὰ μεθ' Ὅμηρον, cum fcholiis graecis et metrica verfione *Petri Morelli.* Idem Scholia latine vertit. Hic codex ipfius Morelli manu fcriptus effe videtur. *Petro Morello Turonenfi interprete.* 1565. Ex hoc Morelli codice duo apographa facta funt; unum, quod parum, aut nihil praeter Morelli verfionem continet (contains nothing or but tittle more than a copy of P. Morells Latin Verfion.) alterum itidem verfionis Morellianae. Alter codex textum graecum cum fcholiis et latina verfione, ad verbum facta, (quae tamen ultra primum librum non progreditur) continet. Primus liber (Antehomerica) verfibus 502. Secundus (Homerica) verff. 490. Tertius verff. 776. abfolvi dicitur. Hic verfuum numerus, quamvis parum accurate initus effe videatur, mirari tamen fubit, unde in Antehomericis tam infignis differentia extiterit. In Matritenfi codice, ex computatione cl. Tychfenii Antehomerica verfibus 410. Homerica 487. abfolvuntur; qui numerus cum numero noftrae editionis fere convenit *).

Ex altero horum codicum, nefcio quo, verfus 29 — 104. Antehomericorum in Heynii gratiam

*) Notitiam codicum Londinenfium fumfi ex Epiftola, anglice fcripta, in Heynii fchedis fervata. Adfcribam hoc loco poftrema hujus epiftolae verba: On a very curfory comparifon of the firft Mfc. (Morelli manu fcripti) with the late german edition (Schirachiana) of a part of this poem, it appeard, that there are variations in the Mfc. wchich may be of ufe: but on comparing fome places, which feem greatly corrupted, the edition and the Mfc. agreed together: fo that this and the Mfc. in Germany feem to have been both copied from one and the fame bad Mfc.

tiam describi jussit Woide, olim bibliothecae Musei Britannici praefectus, nunc ad beatorum sedes sublatus. Ex hoc apographo bonas quasdam lectiones in textum recepi; sed in corruptissimis locis cum cod. Vindobonensi conspirat, ex quo Cl. Tychsen eosdem versus edidit. Homericorum finem inde a versu 325. etiam ex codice bibliothecae regiae, (cod. Harleiano 5662.) descriptam, Heynii humanitati debeo. Contulerat descriptor alium quoque codicem Bibl. Regiae 16. C. IV. et varietatem lectionis margini adscripserat. Uterque Codex vitiose scriptus est; in locis depravatis conspirant, ita tamen, ut ex diversis fontibus fluxisse videantur.

4. *Cod. Vindobonensis* 308. ap. Nesselium P. IV. cum titulo: Ἰωάννου γραμματικοῦ τοῦ Τζέτζου τὰ πρὸ Ὁμήρου καὶ ὅσα παρέχει Ὅμηρος μέχρι καὶ τῆς ἁλώσεως ἡ μικρὰ μεγάλη (L. μικρομεγάλη) Ἰλιάς. Hic a fine partis prioris desiderantur aliquot versus cum parte secunda integra, nulla tamen in medio lacuna. Pars tertia integra 780. versus explet. Antehomerica sunt versuum 351. adeoque desunt in fine 59 versus, quos habet cod. Augustanus, ipse tamen in medio mutilus. Ex hoc Vindobonensi codice cl. Tychsen descripsit partem tertiam, et ex ejus apographo ego edidi. Ex eodem cod. cl. Heeren descripserat Antehomericorum v. 29 — 203. qui desiderantur in editione Schirachii, eosque primus edidit. cl. Tychsen in bibl. Lit. et Art. Fasc. IV. pag. 14. seqq. Puerili ab initio manu exaratus est. Non tamen ab initio solum, sed ubique mendis scatet, cum levioribus, quae imperitum librarium produnt, tum gravioribus, quas, nisi melioris codicis auxilio, vix tollere queas.

5. *Codex Augustanus:* (Catal. Bibl. August. auct. Ehingero. p. 766.) litteris parum luculentis exaratus. Continet Antehomerica, in quibus tamen desiderantur v. 29 — 203. et Homericorum versus 221. Posthomerica in hoc codice plane desiderantur. Ex hoc tam lacunoso et mutilo codice Schirachius Tzetzam edidit, sub titulo: τοῦ Τζέτζου τὰ πρὸ Ὁμήρου τὰ Ὁμήρου καὶ τὰ μεθ' Ὅμηρον *) ἐν συντόμῳ ἐκδοθέντα. *Ioannis Tzetzae carmina Iliaca nunc primum e codice August. edidit Gottlob. Bened. Schirach. Halae 1770. 8.* In hac editione codicis vitia typographorum erroribus mirum in modum aucta sunt. Aliquot horum vitiorum Schirachius, plura Morus, in brevibus notis, ad calcem libri, sustuleruut. Scholia, non minus ea depravata, textui subjecta sunt. Totum opus tumultuaria opera confectum apparet. Codicis Augustani apographum, Tryllitschii manu factum, Dresdae in bibl. Elect. servatur; unde Heynius descripsit. (ao. 1762). Ex hoc Heyniano apographo multa, quae in Schirachiana cditione vehementer depravata sunt, emendare licuit. Ceterum hic codex, quamvis valde mutilus, omnium tamen optimus et Vindobonensi longe accuratius scriptus esse videtur. Pauca in eo vitia reperias, quae omnem medelam respuant.

*) Ex Posthomericis, quae titulus promittit, viginti versus, ex Dodwelli Libro de cyclo, dedit.

IOAN-

IOANNIS TZETZAE

ANTEHOMERICA.

IOANNIS TZETZAE
ANTEHOMERICA.

Ἀργαλέου πολέμοιο κακὸν πόνον Ἰλιακοῖο
Ἔννεπε, Καλλιόπεια, ὑφ᾽ ἡμετέρῃσιν ἀοιδαῖς,
Ἀρχῆθε δ᾽ ἐπάειδε καὶ ἐς τέλος ἐξερέεινε,
Ἐξ ὅτε ὁ Πρίαμος λοιγὸν Τρώεσσι φυτεύει
Δύσπαριν οὐλόμενον, ἀρχὴν πολέμοιο κακοῖο,
Τὸν νόος οὐκ ἐρέεινεν Ὁμήρου κυδαλίμοιο.
Ἔννεπε δ᾽ Ἀργείης Ἑλένης ἐρόεσσαν ὀπωπήν,

Πῶς

v. 1—19. Argumentum totius Carminis tripartiti his verſibus continetur; et quidem ita, ut verſſ. 4—9. Antehomericorum, v. 10. 11. Homericorum v. 12-19. Poſthomericorum Argumentum exponatur.

3. Ἀρχῆθε, Eſt qui ἀρχῆθεν malit. Tzetzam ſcripſiſſe, quod in Codd. legitur, ex Scholio apparet. Ἀρχῆθε δίχα τοῦ ν.

5. Δύσπαριν. Ιλ. Γ. 39. et paſſim. Etymol. M. p. 654. — ἀρχὴν πολέμιοιο κακοῖο. Homer. Ιλ. Η. 374. Ἀλέξανδρος, τοῦ εἵνεκα νεῖκος ὄρωρεν. Τὸν ἀρχέκακον πολιήτην eundem vocavit Coluthus de R. H. v. 385. — In capite proximi verſus ſuſpicari poſſis Τὴν νόος — ut ad ἀρχὴν referatur. *Cujus belli initium Homerus exponere neglexit.* Nihil tamen praeter neceſſitatem novandum.

7. Ἑλένης ὀπωπήν. Helenae pulchritudinem adumbratam reperies v. 113. ſqq. — Sequ. verſ. Cod. Aug. et Vindob. μὲν exhibent; quod Morus emendavit Vir cl. ad calcem edit. Schirach. et Tychſen. in Biblioth. Lit.

et

Πῶς τέ μοι ἤγεν Ἀλέξανδρος Σπαρτῆθε Τροίην.
Ἔννεπε δὲ πλόον Ἑλλήνων καὶ νῆας ἁπάσας·
Εἰπὲ δὲ Πηλείδαο κότον καὶ ὄλεθρον Ἀχαιῶν,
Σαρπηδόντος Πατρόκλου τε καὶ Ἕκτορος οἶτον·
Εἰπὲ δὲ Πενθεσίλειαν, κούρην ἀντιάνειραν.
Ἔννεπε δ' Αἰθιόπων στρατὸν, υἱέα τ' Ἠριγενείης.
Φράζεο δ' Αἰακίδαο πότμον δακρυόεντα·
Εὐρύπυλόν τε ἄειδε καὶ υἱέα Αἰακίδαο·
Μαντείας δ' Ἑλένου, καὶ Ἀλεξάνδροιο φονῆα.
Εἰπὲ δὲ καὶ πτολίπορθον Ἐπειοῦ δούρεον ἵππον.

Εἶπ-

et Art. IIII. p. 14. Verf. 8. correxerim:

Σπάρτηθε Τροίηνδε.

Sic enim, ni fallor, graeci fermonis indoies flagitat, Τροίην priorem fyllabam eodem jure corripit, quo ποιεῖν, ποιητὴς et alia, quae his funt fimilia. Vide Brunck. ad Lyfiftr. v. 128. Tom. I. p. 13.

12. Κούρην ἀντιάνειραν. Solemne Amazonum epithethon. Homer. Ιλ. Γ. 189. Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι. Hefych. V. τὸ δὲ ἐπίθετον τῶν Ἀμαζόνων, ἤτοι, διότι ἀνδράσιν ἠναντιοῦντο. — v. 13. υἱέα τ' eft ex emendatione Tryllitfchii, quam recipiendam duximus, quum Codd. υἷα δ' exhibeant, quod Schirach. et poft eum Tychfen ediderunt.

14. Αἰακίδαο πότμον. Αἰακίδαο veram Tzetzae manum effe, praestantiffimus harum rerum exiftimator judicat, Heynius. Neque ego de hujus lectionis finceritate dubitem, quippe qui Tzetzam imperitiffimum verfuum fabrum effe noverim. Adde quod ipfe in Scholiis fcripfit: Αἰακίδαο. Ἰωνικῶς. Αἰακίδαο. Ἀττικῶς. Levi tamen opera hunc verfum haud paulo concinniorem efficias, fi fcripferis: Φράζεο δ' Αἰακίδεω πότμον μάλα δακρυόεντα.

15. Εὐρύπυλόν τε ἄειδε. Ex apogr. Heyn. — edit. Schirach. et Tych. Εὐρύπυλον δ' ἄειδε.

17. δούρεον ἵππον Mfc. Aug. δούρειον, quae fcribendi ratio, etfi per fe fatis bona, metrum turbat. Tzetza in Scholiis haec fcribit: δούρεαν ἵππον· καὶ ταῦτα Ἰωνικῇ συστολῇ τοῦ μακροῦ εἰς βραχύ.

Clo-

Εἴσοκεν ἠΐστωσε πελώρια τείχεα Τροίης.
Ταῦτά μοι εὐπατέρεια, Διὸς τέκος, ἔννεπε Μοῦσα.
 Ἤτοι μὲν Τροίη πολέμοις προτέροις μογέεσκε.
Πέρσε γὰρ αὐτὴν Ἡρακλέος μένος ἀγριοθύμου·
Δουρὶ δ' αὖ Σκυθέμητρες ἐπέδραμον εἶτα γυναῖκες,
Θυγατέρες Ἄρηος, Ἀμάζονες ἀγκυλότοξοι·

Αὐτὰρ

Clodius δούριον in textu et in Scholiis corrigendum suspicabatur; laudato Aristoph. in Avv. 1128. et Hesych. V. Δούριος.

18. Τείχεα. Sic apogr. Heynii recte. Edit. Schir. et Tychs. τεύχεα.

20. Iam ipsum Carmen ab antiquissimorum, quibus Troja vexata est, bellorum commemoratione feliciter incipit, (ῥητορικωτάτως ut perpetuus sui ingenii laudator in Scholiis ait) perinde atque Auctor τῶν Τρωϊκῶν in Bibl. Uffenbach. p. 655. Τροίαν πρότερον μὲν ἐπόρθησεν Ἡρακλῆς — εἶτα αἱ Ἀμαζόνες. — De Troja ab Hercule expugnata vid. Homer. Ιλ. N. 640. sqq. Hellanicum in Schol. ad Il. Ψ. 145. et quae ad h. l. disputavit Sturz in Fragmentis Hellanici p. 146. Apollodori Bibl. L. II. C. 4. p. 147. sq. et Heynii Notas Vol. I. p. 445. sq. Ceterum Schirach. male Ἤ τοι edidit. Προτέροις ex apogr. Tryll. recepi. Edit. Schirach. et Tychs. πρότεροις.

22. Δουρὶ δ' αὖ Σκ. Sic scribendum putavi cum cl. Tychsen. quum in Msc. esset δουρὶ δ' αὖ αἱ Σ. quod jam Tryll. corruptum esse videns δουρὶ δ' αἱ emendandum duxit, deleto αὖ. Hac tamen particula ita delectatur Grammaticus noster, ut eam ubique inserciat. — De incursione Amazonum in Phrygiam vide Homer. Ιλ. Γ. 199. et ibi Schol. Imprimis Heynium consulas de Amazonibus disputantem in Notis ad Apollodor. Vol. I. p. 373. sqq. Scriptores rerum, ab Amazonibus gestarum, laudat Sturz in Fragm. Hellanici p. 117. — Θυγατέρες Ἄρηος ob bellicosam indolem a poëtis dictas esse Amazones, nemo dubitat. Schol. Homer. Ιλ. Γ. 189. Αἱ δὲ Ἀμαζόνες λέγονται εἶναι Ἄρεος καὶ Ἀφροδίτης θυγατέρες, τραφεῖσαι παρὰ Θερμώδοντι, ποταμῷ τῆς Σκυθίας. Pherecydes ap. Schol. Apollon. II. 992. Ἁρμονία νύμ-

Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο χερῶν ἀγέρωχοι ἐρωαί,
Ἄρεας αἱματόεντας ἐπ᾽ ἀλλήλοις προφέρουσαι·
Τρῶες, ἀναπνεύσαντες ἀπὸ πτολέμου κρυεροῖο,
Γαίης ἔργα νέμοντο παρ᾽ εἰρήνῃ κομόωντες.
Οὐδ᾽ ἄρα μὴν τάδε Μοίραις ἥνδανε χαλκεομήτοις.

Ἄλλαι

νύμφη· Ναΐς. Ἧς καὶ Ἄρεος Ἀμαζόνες εἶναί φησι Φερεκύδης, ᾧ ἕπεται Ἀπολλώνιος. Iuſtinus XI. 4. *Ne ſucceſſibus deeſſet auctoritas, genitas ſe Marte praedicabant.* — Σκυθόμητρες. cf. Herodotum. IV. 114. ſqq.

24. ἐρωαί. Ex Homericis v. 77. ſcribendum videtur ἐρωῆς. Ὄττι μιν ἰσσύμενον πολέμου ἀπέπαυσεν ἐρωῆς. Tunc ἀγέρωχοι *ſuperbae Amazones* ſunt. Ἄρεας plurali numero pro *bellis* vix bene dictum putes. Προφέρειν hoc ſenſu Iλ. Γ. 7. κακὴν ἔριδα προφέρονται. *Heyne.*

27. γαίης ἔργα. Agrum colebant, ceterisque pacis ἔργοις operam dabant. Hoc temporis ſpatio Trojanorum opes egregie auctas fuiſſe, Homerus docet Iλ. I. 401.

Οὐ γὰρ, Achilles ait, ἐμῆς ψυχῆς ἀντάξιον οὐδ᾽ ὅσα φασὶν
Ἴλιον ἐκτῆσθαι, εὖ ναιόμενον πτολίεθρον,
Τοπρὶν ἐπ᾽ εἰρήνης, πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν.

Paulo diſertius etiam Iλ. Σ. 288.

Πρὶν μὲν γὰρ Πριάμοιο πόλιν μέροπες ἄνθρωποι
Πάντες μυθέσκοντο πολύχρυσον, πολύχαλκον,
Νῦν δὲ δὴ ἐξαπόλωλε δόμων κειμήλια καλά.

Huc pertinet locus Hellanici in Schol. ad Iλ. E. 64. Ἑλλάνικός φησι, χρησμὸν δοθῆναι τοῖς Τρωσὶν, ἀπέχεσθαι μὲν ναυτιλίας, γεωργίᾳ δὲ προσανέχειν. — Κομόωντες *ſuperbientes*. vid. Valcken. ad Ammon. pag. 128.

28. ἄρα μήν. Fortaſſe δήν. *Non diu Parcis ſic placuit.* χαλκεόμητοι, *inexorabiles.* Haec vera Tzetzae manus, quam exhibet ed. Schir. et Tychſ. Apogr. Tryll. χαλκεομίτοις. in quo verbo Tryll. latere putabat χαλκεομίτροις. Laudat, ad hanc conjecturam firmandam, Pindar. Nem. X, 170. ubi Κάστορος χαλκεομίτρα habemus. Lycophr. 997. — Adde Pindar. Olymp. VII. 118. χρυσάμπυκα μὲν Λάχεσιν. Coronis Parcas ornavit Plato de Republ. X. p. 329. ed. Bip. cf. Lenzium, elegantiſſimi ingenii

Ἄλλα γὰρ αὖθις μέρμερα Τρωσὶ μητιόωντο.
Τόφρα γὰρ οὖν τέρποντο παρ᾽ εἰρήνῃ κομόωντες
Εἴσοκεν οὔνομα λυγρὸν ἀπ᾽ αὐτόφιν ἔπλετο Πάρις.
Αὐτὰρ ἐπεὶ Μοῖραι στιβαροὺς κλώσαντο ἀτράκτους,
Τοὶ γαῖαν κλονέουσι καὶ οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν.
Εἶξαν δ᾽ ἀτράκτοισι θεοὶ μεδέοντες Ὀλύμπου·
Φαίνων ἠδὲ Ζῆν καὶ Ἄρης καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ἀφροδίτη, Ἑρμῆς τε, καὶ Ἄρτεμις ἀγλαόμορφος,
Ἠδ᾽ ἄλλοι δυοκαίδεκα, τρίς τε δέκα καὶ ὀκτώ.

Καὶ

genii Virum, in Varietate lect. ad Catulli Carm. LXIV. v. 307. ed. Doering. ubi optime legendum conjicit: *His tempus tremulum complectens undique quercus.*

29. Ἄλλα Edit. Tychſen. quam ſequimur. Cod. Auguſt. et Londin. ἀλλά. — Poſt hunc verſum in Cod. Auguſt. lacuna eſt 196 verſuum, quos ex Cod. Vindob. primus edidit cl. Tychſen in Bibliotheca Litt. et Artium. IV. p. 14. ſqq. Hujus lectiones nos in plurimis ſequuti ſumus, niſi ubi Codex Londinenſis, cujus apographum Heynius, quo Viro nihil humanius, nihil ad bonas litteras promovendas paratius, nobis procuravit, meliorem lectionem ſuppeditabat.

31. Πάρις. Cod. Lond. Πράϊς.

